

Band VI., Nr. 1675, Seite 76-77

Abt Albert von Reichenau überträgt das Eigentum gewisser Güter in Altheim, welche der Schultheiß Walter von Veringen von diesem Kloster besitzt und dem Kloster Heiligkreuztal zukommen lassen will, mit Genehmigung der beiden Grafen von Veringen als Vogtherren jener Güter, gegen einen jährlichen Wachszins an letzteres Kloster.

Reichenau, 1262. September.

Omnibus Christi fidelibus istarum literarum seriem inspecturis Albertus, dei gratia abbas Augie maioris, salutem in vero omnium salutari. Ordinate caritatis interesse dinoscitur, ut votorum salutarium petitionibus assensum dignetur facilem conmodare. Igitur cum discretus vir Walterus scultetus de Veringen de quibusdam possessionibus suis sitis in Althaim a nobis nostroque monasterio possessis aliquid ad anime sue salutem profecturum affectans ordinare, possessiones easdem reverendis in Christo abbatisse et conventui de Valle Sancte Crucis nomine sui monasterii vellet ob dei reverentiam errogare, idem una cum nobiles viris seniore et iuniore comitibus de Veringen, dictarum possessionum advocatis, nobis, ut hoc, cum nostra interesset, fieri sineremus, tam devote quam humiliter supplicavit. Nos itaque tam pii voti propositum nolentes negli[gi], set potius obtato cupientes effectui mancipari, proprietatem prescriptarum possessionum prefatis B. abbatisse et conventui de Valle Sancte Crucis nomine sui monasterii cum tocius iuris legalitate, qua nobis nostroque monasterio competebat, liberaliter pro annuo censu, videlicet dimidia libra cere, annis singulis in festo sancti Martini solvendo, quiete et pacifice de cetero possidenda contulimus. Renuntiantes sine dolo et fraude qualibet tam pro nobis quam pro omnibus nostris in evum successoribus omni iurisdictioni vel inpeti[tio]ni aut etiam actioni ex quacumque de^a causa emersure, que nobis et eisdem nostris pro tempore successoribus in easdem possessiones deberent aut possent competere in futurum. Et ut hec nostra donatio nullius dolositatis incursu possit umquam in sui robore aliquoqualiter infirmari, nos prememoratis B. abbatisse et conventui nomine sui monasterii presens scriptum concessimus nostri dictorumque comitum de Veringen sigillorum karactere consignatum.

Acta sunt hec in Augia, mense Septembri, anno M . CC . LX^o. II. Huius rei testes sunt W. comes senior, dominus Albertus et frater suus de Bvtelschiez, Hanricus miles de Hornestain et Hermannus miles, filius suus, M. miles de Hertenstain, M. miles filius eius.

^aSo deutlich die Urkunde.

II

—

Der Textabdruck folgt dem Original.

 An Leinenschnur das spitzovale Siegel des Ausstellers, 50,32 mm: Der auf einem mit Hundsköpfen und Tatzen verzierten Stuhl sitzende Abt, in der Rechten den Krummstab, mit der Linken ein Buch vor die Brust haltend; Umschrift: . . ALBERTI . D(e)I . GR(at)A . ABB(at)IS . AVGIE . MAIORIS .

Überlieferung und Publikationen

Lagerort:

HStA Stuttgart

Signatur/Titel des Originals:

B 457 U 178

Regesten:

Mitteilungen des Vereins für Geschichte und Altertumskunde Hohenzollern 1 (1867/68) - 63 (1932) 3 (1869/70), S. 53. UB Heiligkreuztal, Bd. 1, S. 11, Nr. 42.

Weitere Angaben

Sprache:

Lateinisch

Ausstellungsort:

Reichenau

Ortsindex:

Altheim Wohnplatz (17044)
 Altheim, BC
 Bittelschieß Wohnplatz (21127)
 Bittelschieß, Krauchenwies, SIG
 Heiligkreuztal Wohnplatz (17046)
 Heiligkreuztal, Altheim, BC
 Hertenstein Wüstung (24212)
 Hertenstein, Sigmaringen, SIG, W
 Hornstein Wohnplatz (21053)
 Hornstein, Bingen, SIG
 Reichenau Wohnplatz (14588)
 Reichenau, KN
 Veringenstadt Wohnplatz (21378)
 Veringenstadt, SIG